

**Tentamen medicum inaugurale, de typho ... / eruditorum examini subjcit
Gulielmus Nevin.**

Contributors

Nevin, William.
Caldwell, Rolston
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Glasguae : In aedibus academicis, excudebat Andreas Foulis, 1794.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ahdrrd2v6>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>









DISSERTATION

INAUGURALE

TYPI



No. 7




DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.



T. Y. P. H. O.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

TYPHO;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGI GLASG. PRAEFECTI:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS

UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS NEVIN, M. A.

HIBERNUS,

Ad diem v. Junii, hora locoque solitis.

*“ Vix unquam vero solis Medicamentorum viribus, natura ipsa nil ju-
vante.”* Gregor. Conspect.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS

EXCUDEBAT ANDREAS FOULIE

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.DCC.XCIV.

TENTAMEN MEDICUM

IN ACADEMIA

DE

Medicinae et Chirurgiae
T. P. H. O.

ALEXANDRO LEITCH

ANATOMIAE ET CHIRURGIAE

PROFESSORIS

ANATOMIAE ET CHIRURGIAE

IN ACADEMIA

M^r Rolston Caldwell
from his Friend
The Author

Viro

Ornatissimo et Erudito,

ALEXANDRO HALLIDAY, M. D.

DE BELFAST,

In Comitatu Antrimensi;

Summo cum civium commodo

Medicinam feliciter exercenti,

Hanc Dissertationem,

Testimonium observantiae,

Quamvis exiguum,

Sacram esse,

Voluit

AUCTOR.

Omnia et singula

ALEXANDRO HALLIDAY, M.D.

DE SECTA

In Conspectu

Estimato cum aliis

Medicamentis

Hanc

Totius

Operis

Titulus

Est

AUCTOR

*ae Ea ut potero, explicabo; non vero quasi Pythius A-
pollo, certa ut sint et fixa, quae dixero; sed ut homunculus
vanus ex multis, probabilis conjectura sequens."*

CICERO.

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

PLANT INDUSTRY DIVISION

PLANT INDUSTRY DIVISION

PLANT INDUSTRY DIVISION
PLANT INDUSTRY DIVISION
PLANT INDUSTRY DIVISION

CICERO

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

NULLUS morbus, five saevitiam, five frequentiam spectemus, quam febris, attentionem Medicorum sibi justius vindicavit. Paucis igitur mecum decrevi de febre differere, non nisi summa diffidentia, quia multa de ejus natura et causis adhuc tenebris latent; forsanque diu latebunt.

NARRATIO SYMPTOMATUM.

Verbis Illustrissimi Culleni morbus concinne et breviter definitur; “ Praegressis languore, lassitudine et aliis debilitatis signis, post horrorem, pulsus parvus, debilis, plerumque frequens, calor parum auctus, urina parum mutata, sensorii functiones plurimum turbatae,

B

“ vires multum imminutae”. Ut hac definitione, varietates morbi maxime insignes denotentur, addatur, “ saepe cum petechiis, et ali-
 “ quando sed rarius hisce regionibus, cum fla-
 “ vedine cutis”.

Aliorum morborum febrilium ac hujus, indicia prima fere eadem sunt. Post languoris debilitatisque sensum, praesertim artubus, de frigore aucto aeger plerumque conqueritur, externumque calorem avidè desiderat. Frigus dorso primum oriens, per totum corpus cito diffunditur, paulatim ingravescens, donec artus et muscoli rigoribus concutiuntur. His sensationibus ingratis tantisper praeceuntibus, calor insolitus, aegro non minus molestus, persentitur. Paroxyfmi calidi et frigidi subito inter sese alternant; stadio calido tandem valente, morbus ex toto formatur.

Hisce cum signis, omnia corporis munera, aliquo modo, plus minusve turbantur. Motus voluntarii languide perficiuntur, et manus praesertim tremunt. Sensus molestiae et inquietudo totum corpus pervadunt, et dolor, erecto corpo-

ire vix tolerandus, dorsum lumbosque infestat.
Languida fit facies et moesta, genis saepe rubescentibus—oculi inflammati sed hebetes apparent; lucem strepitumque aeger averfatur, et aurium tinnitu et vertigine afficitur.

Oppressio et anxietas magna, nullis verbis deppingendae, profunde in pectore sentiuntur.
Respiratio celeris et dispar fit, tussi saepe comitante, nec raro suspiriis altis interjectis. Arteriarum pulsus celeres, et, inter dies primos, aliquando pleni sunt; cito tamen debiles et abnormes evadunt, levissimis corporis agitationibus volitantes. Cephalalgia torquens et temporum palpitatio accedunt. Mens plurimum turbata, suis saepe fungitur muneribus—Aeger continuo pervigilio dilassatur, vel si somnus unquam adveniat, parum relictus expergiscitur; crebro muscitans, subito, quasi somniis horrificis perterritus, trepidat.

Cibum omnigenum, ab initio, ventriculus averfatur; et materies biliosa vomitu saepe largae ejicitur. Lingua, motu tremulo protrusa, primo, mucro obiecta, postea arida et fusca, vide-

tur. Sitis raro urget, sed gluten valde ingratum ori, et faucibus adhaerens, et gustus depravatus, multum molestiae creant. Urina vix ullas mutationes notabiles subit; interdum fusca apparet, et progressu morbi, quibusdam casibus, sedimentum leve et furfuraceum deponit. Cutis plerumque sicca est, calore parum aucto; interdum vero sudor, partes corporis superiores occupat, dum cutis, digito impresso, sensum ardoris impertit. Alvus plerumque astringitur, initio tamen et versus finem morbi, Diarrhoea aliquando pertinax, oritur.

Morbus, ut jam depinximus, his regionibus, quod nobis faustum est, plerumque mitis apparet, et vario cursu saepius sanitate terminatur. Haud raro tamen, omnibus in pejus ruentibus, aegrotus, in stadia maxime horrenda, subito projicitur. Nunc conamen ad vomendum constans, et corpore erecto, proclivitas ad deliquium urgent. Musculi diutius corpus sustinere negant; aeger supinus porrectus, imum lectum petit. Pectus et collum petechiis vel maculis lividis teguntur; mens invicem comate et delirio laborat; stupor invadit, et faeces et urina inscio elabun-

tur. Pulsus tam languide et frequenter micant, ut vix numerari possunt; extremæ partes frigescent; facies fit pallida et cadaverosa; Ephemors propinquo stat! subsultus convulsionesque mox miseris aegri finem imponunt.

Non omni vero casu, eundem ordinem signorum expectare licet. Ut accidit morbis nervosis, quibus hicce forsan quodammodo affinis est, aggressus primi saepe obscuri et fallaces sunt. Nunc ventriculum et Intestina primum adoriens, vomitum et diarrhoeam concitat; nunc cerebrum, cephalalgiam acrem, animique statum maniae fere propinquantem, inducit, nec calidis nec frigidis stadiis ab aegro distincte perceptis. Nunc stipatur doloribus fixis, variis in corporis partibus; nunc tardius cunctatiusque progreditur, aegroti suas sensationes male intelligente, a motu averso somnolentoque, per plures dies, tam valido, ut non prorsus intus detineatur, nec se satis bene habente, ut suas res agat, donec tandem clariora et signa morbi graviora, cum penitus pervincunt.

Hæ varietates, quam diligenter, ingressus mor-

bi observandi sunt, satis demonstrant; nec curam medici minus vindicant, habitus aegrotantis, et ejus prior modus vivendi, ut horum cognitione Diagnofis lucide appareat, et exitus felix speretur.

CAUSAE REMOTAE.

Epidemice fere femper hic morbus graffatur, quaque tempeftate oriens. Neque aetas, nec fexus, neque habitus eft ullus, ab ejus impetu immunis. Debiles tamen, infirmioresque imprimis aggreditur, et quicquid corpus laxat aut debilitat, pro caufa morbi praedisponente haberi potest. Hujusmodi funt, frigus corpori diu adhibitum, et maxime humiditate comitante, defatigatio, jejunia et pervigilia protracta, evacuationes profusae, pathemata animi deprimentia, Bacchus et Venus immodice culti, victus nimis lautus, et vita fedentaria.

Haec caufas morbi aggressui favere, satis probatur ex eo, quod ii, medicinam Classi Castrisque exercentes, se femper observasse, referunt; Morbis contagiosis, Dysenteria nempe, vel aliis faevi-

antibus, ex omni fere casu, nautas militesque gregarios succubuisse, dum Praefecti, dieta lautiore, et aliis commodis fruantes, plerumque a contagione immunes evaserunt.

Quaedam revero debilitatis esse species, quae morbum potius arcent, negari non potest; nam raro accidit Hydropicos vel Phthisi Pulmonali, praecipue stadiis evectis, laborantes, Typho uquam corripit. Quamvis explanatu difficile, res tamen satis comperta est, et igitur concludere licet, debilitatem, eos tantum aliquo vigore gaudentes, subito invadentem, morbo opportunos reddere.

Actionem vero causarum supra dictarum, ultra extendere, nonnulli volunt. Has, nulla alia adjuvante, morbum inducere contendunt; quia usu nimirum intempestivo, Cathartorum aliorumque remediorum debilitantium, multos in morbum relabi; sed memoratu dignum est, morbos saepe vi consuetudinis sola; protrahi ac pari ratione inferre liceat, ab iisdem causis Pertussim, vel Febres Intermittentes oriri, quoniam paroxysmorum, etiam per longum tempus, his causis

continuentur, excitantibus toto amotis. Frigus raro salutis inimicum observatur nisi intensius sit, vel humiditati conjunctum; morbi ab eo pendentes, a Typho omnino diversi sunt, qui regionum calidiorum exitium est, et raro plagis gelidis saevit; et quam multos, moeror, inopia aliaeque jam recitatae causae afflixerunt, hoc morbo non sequente, etiam incuriosissimis notetur.

Aegros, imprudenti sanguinis detractione interdum Hydropicos, atque prava dieta et frigore saepe Scorbuticos, redditos fuisse, minime est negandum. Hos morbos excitare, et ad eos praedispone, gradu diverso possunt; sed ad febrem tantum praedispone plerisque satisfiet quod Pringelio memoratur. Exercitus, Septentrionali Scotia hybernans, et variis, febrium causis vulgo habitis, nunc numeratis, expositus, nullis vero, nisi loco et tempestati propriis, morbis afficiebatur; aestate autem veniente, febris inter milites clade insolita saeviit. In rem tam inopinatam medici summo studio incubuerunt; atque contagionem e loco pestifero, quibusdam profugis, in castra per-

latam invenerunt: et multi, qui alia adhuc impune tulerant, nunc febre corripiebantur.

Si quidem aegrotantium declarationibus fides detur, longe aliter judicaremus. Omnes eorum morbos, inter se utcunque diversos, frigori, vel victui vel animi motibus attribuunt. Memoretur autem, impetum contagionis aegros ipsos penitus fallere; ullum igitur antecedentem corporis flatum insolitum pro causa morbi habere, maxime est illis consentaneum.

Nec magis fortasse fide dignae sunt auctorum relationes, de aliis hujus morbi causis. Lugubre fert testimonium Medicina, ineptiis mentis humanae, rudae tamen audacis, incultae tamen magna affectantis. Nunc ab uno, nunc altero naturae portento, morbi pestiferi originem ducere credebantur—terrae scilicet motibus, prodigiis, vaporibus noxiis, animalculis, atque majore verisimilitudine caeli temperie peculiari. Sententias priores refellere non est operae pretium. Nec postremae, nisi experientia comprobatae, ipse Sydenhamius habilis erit testis.

Nunc igitur inter medicos ferme consentitur, contagionem specificam solam Typhum inducere; et rem ita sese habere, satis constat ex causis quae morbi disseminatiōni praecipue favent: ut commercium cum aegrotis, immundities, fomites, et conclavia male ventilata, unde latius et rapidius contagio sese diffundit.

De hujus contagionis natura, vel origine, parum videtur. Medicorum observationibus satis probabile apparet, effluvia humana, quodam calore et restrictiōne, contagiosa fieri, et similem forsan materiem, animalibus herbisque putrescentibus ortam esse—hinc febres vigent oppidis amplis et frequentibus, et praesertim inter pauperes, carceribus quoque, et nosocomiis, in castris, locisque aliis, quibus homines multi diu coarctati sunt.

Praeter haec, nisi Theoria et Conjectura, nihil est. Nobis autem sat est scire, nullam esse febrem sine contagione, qua evitata, morbum efugimus.

CAUSA PROXIMA.

Saepe, licet jure iniquo, Medicinae objectum fuit, principia ejus esse vaga, et Theorias omnes prorpus vanas et inutiles, nullo, vel saltem lubrico fundamento niti. Hanc scientiam, ut aliae, tarde progressam esse, negari non potest, nec mirandum, si cogitemus, quam abdita sunt illius subiecta, et explanatu difficilia. Aliae insuper causae cultum ejus impedire contulerunt. Et Physica et Chemia, per longum tempus, in explanandis sanitatis et morborum Phaenomenis versabantur. Nec ante Centum abhinc annos, Medici seiplos ut Animantes et Vi Vitali praeditos considerabant, quae nec principiis Chemicis nec Mechanicis explanari potest. E quo igitur Physiologi ad Generis Nervosi leges investigandas sese accinxerunt, Medicina vere ornari et augeri apparet; et quamvis nec adhuc ita notum est, nec unquam forte de ejus muneribus erit, ut omnia artis nostrae desiderata suppleantur, sat superque constat, hoc principio neglecto, de medicina actum esse, et tantum analogias dubias futilesque petimus.

Omnia morborum sanguinem esse sedem, antiqua fuit opinio, et circuitu sanguinis explorato, verifimilior reddita fuit. Hinc, Theoria super Theoriam ad signa et naturam febris explanandum coacervata, morbum, vel velocitati et momento auctis, vel statui cuidam morbido, sed adhuc non deprehenso, fluidi vitalis, tribuens. Has omnes opiniones revolvere, non hujus est loci; pauca tantum perpendemus de ea, quae humorum putredini, vel signa quaedam, vel Causam Proximam morbi, attribuit; nam hanc, licet pauci verbis defendunt, multos morbum tractantes, adhuc observare, nimis clare apparet.

Argumenta, quibus haec Hypothesis maxime nititur, e signis sequentibus deducuntur; sanguine non uti solet coagulante—vel Hemorrhagia vel in Petechiis effuso,—e conditione excretorum, et foetore partium, quibus Epispastica adhiberentur— a contagione, ut fermentum, in fluida agente,— et ex modo operandi quorundam remediorum, in morbo medendo.

De nulla re forte, medicorum testimonia, ma-

gis quam de sanguinis morbis in malignis aspectu, discrepant. Pathologia Humorali valente, saepe dictum fuit, sanguinem, hujusmodi morbis, signa dissolutionis clarissima exhibuisse, in saniam foetidam solutum, odore adstantibus vix tolerabili. Auctorum tamen aliorum, fide non minus dignorum, observationes ostendunt, talem sanguinis conditionem, haudquaquam feбри propriam esse. Sanguis in peste ipsa Sydenhamio firmiter coagulari visus fuit; eundem Scorbuto et Typho accidere Lindius testatur, et quoque recentius Illustriss. Heberdenus sanguinem, aegro Cynanche maligna laborante, cum crusta coriacea animadvertit, quo morbo certe malignior non alius invenitur. Sagax et Peritissimus Hewson ingenue fatetur, sanguinem, casu ipsis oculis subjecto, aegri brachio emissum, non coagulasse, quamquam post mortem, cadavere resecto, densum et coagulatum cavis cordis fuisse inventum. Sanguinem putredine solutum nunquam coire, nil certius est; inde autem inferre liceat, nullam aliam causam praeter putredinem, proclivitatem ejus ad coagulandum impedire? Ab experimentis ejusdem

auctoris constat, et Quis non vidit? e quam parvis mutationibus coagulatio sanguinis variatur; conclusiones igitur hac fonte derivatae, sanguinis putredinem probare vix queant.

Ad hanc Hypothesin stabiliendam, conditio secretionum multum respicitur; namque sanguine putrido, has, ejus conditionis participes esse, credere consentaneum est. Nil certe ex auctorum contrariis relationibus de hoc colligi potest. Quicquid regionibus calidis accidat, quibus omnia ad morbi acerbitatem augendam conferunt, apud nos saltem, Febres malignae, secretionibus parum mutatis, saepe cursum perficiunt. Halitum esse ingratum, et faeces aliquando faetidas, defectu succi gastrici, qui putredini tam fortiter obstat, et statu ventriculi, cibo male concocto gravati, explicare potest. Nec magis huic hypothese favet factor perspirationis, quum idem Erysipelate, Variolis, Febre Miliaria, aliisque morbis videatur.

Petechiae et Hemorrhaghiae quae febre saepe oriuntur, sanguinis putredinis pro testimonio

habentur. Hae tamen febri non propria sunt; nam evectioribus stadiis Hydropis, aliorumque debilitatis morborum, aliquando observantur.

Clariss: Duncan, praelectionibus suis puerum memorat, cui cutis, largis sanguinis effusionibus, ex injuria quavis levi, suffusa erat; et nuper medicis, casus multi petechiarum sine febre orientium, enarrantur. Sive lymphae inopia, sive sero nimium salino, vel debilitate et flacciditate vasorum, haec phaenomena explicare conemur, nulla manifesta putredinis signa, his exemplis tradita sunt. Omnino quidem ambiguum est, quatenus, corpore vivo, putrefactio valet. Putredinem incipere, etiam vasis coopertis, ex experimentis Ingeniosissimi Alexandri videtur; sine contactu aëris tamen, non longe progredi, aequè certum est. Hoc, ex sanguine in aneurismate, vel sero, in varia cava corporis, sine putredine effuso et etiam calore 98°, diu detento, satis probatur.

Neque forsan minus erraverunt Medici, qui, fluida putrescere, a contagione, modo fermenti

agente, crediderunt. Ex omni casu, ut fermenta, ad suam naturam fluida assimilent, tempore opus est; contra, quibusdam febris malignae exemplis, causa excitante adhibita, symptomata confestim apparuerunt. Si aliquid sanguine putridum inesset, vel antidotis propriis corrigi, vel corpore ejici deberet, priusquam morbus ad finem perduceretur; sed medicamenta, Typho praecipue valentia, mutationes hujusmodi vix efficere possunt, et morbus, sine ulla evacuatione notabili, fere semper terminatur.

Multis diu sanctissime persuasum fuit, remedia, hoc morbo, omnino vi antiseptica, pollere; quia putredini nimirum extra corpus resistere inveniuntur,—sed rem se aliter habere, experimenta ipsa, consilio hanc Theoriam firmandi instituta, plane ostendunt; nec certe haec ratio vires medicamentorum aestimandi, ullo modo admittenda est, nam saepe ad illusiones falsas ducit. Nitrum, *e. g.* et alii sales medii, sanguine extra corpus commisti, coagulationem ejus minuunt, ventriculo tamen recepti, quibusdam casibus, eam evidenter festinant. Praeteriac, si

consideremus, signa morbi pessima, saepe levata esse medicamentis, quae agunt, priusquam ad sanguinem possunt devehī, hoc argumentum ex toto ruit.

His igitur rite consideratis, neque causam proximam, nec morbi phaenomena insigniora, e putredine sanguinis pendere; nec talem statum humorum, morbo medendo, attentionem mereri, concludere fas est.

Nunc igitur causam aptiorem assignari forte speretur. Hoc tamen non aggressuri sumus; caligine enim tam atra mersum, ut minime laboribus aliorum adhuc arrisit. Febrem, in quadam Systematis Nervosi conditione existere, omnia ejus signa enunciant: hujus tamen affectus naturam, omnino ignoramus. Paululum de contagione, vel modo, quo vires vitales impellit, adhuc notum. De causa et effectu, inter animantes, modo quo inter res materiales, non disceptandum est. De materia, effectus suis causis semper respondere novimus; in corpore humano, effectus suas causas saepe longe supe-

rant, ac invicem, mutationes aequae impares efficiunt.

Hinc in febre, sine ullo systematis statu determinato, mutationes serie continuatas, ab accessione prima, usque ad finem, accidere verisimile est; hoc magis probabile redditur, e morbi proclivitate diebus certis terminari, qui, quanquam Hippocratis criticis, non ad unguem congruentes, tamen satis manifesti sunt; nec, quia inexplicabiles, omnino negligentur.

Nullae igitur notae Systematis conditioni, nec etiam Spasmo, quanquam toto Culleni ipsius ingenio suffulto, Febrem possumus referre; nam haec Theoria, summa arte contexta, rationem signorum tantum reddit.

Sed restat adhuc alia Theoria, quae etsi caliditate prioris non implicata, aliis difficultatibus non minus irretitur. Mutationibus corporis febre apertis solum spectatis, causa proxima debilitati merae tribuitur.

Difficultatem uno gradu tantum haec Theoria

summovet, et morbos aequae naturae ac signis discrepantes, permiscens, argumentis omnibus cito finem imponit; nam si aliis morbis debilitatis nullo modo Typhus distet, quo fit, ut eo progrediente, materiae contagiosa, sibi solum propria, semper generetur?

Debilitas quaedam, sine dubio, omni Typhi casu oritur; haec tamen nihil aliud quam pro effectu aestimetur; nam si Typho debilitas unica necessaria esset, causas predisponentes quotidie morbum efficere inveniremus; et quamvis ex hac Theoria modum morbi, stadiis evectioribus et desperatis, tractandi feliciter, ortum esse, nullis nunc disputatur; aequae apparet, nulla remedia initio morbi plerumque magis funesta esse, quam ea, quae maximo fructu debilitate manifesta, adhibemus.

P R O G N O S I S.

Typhus, accessionis celeritate et symptomatum violentia, cursum plerumque cito perficit; et

quia mutationes valde inopinatae, hoc quam-
vis in ullo alio morbo, frequentius accidunt, Prog-
nosim semper cautam esse oportet.

Judicium igitur instituendo de morbi exi-
tu felice vel infausto, totam seriem signorum,
habitum aegrotantis, et malignitatem Epide-
mici simul attente perpendere, requiritur.

Vires parum imminutae, lingua circa mar-
gines nitida, cutis mollis, delirium leve et se-
ro invadens, pulsusque usu roborantium fir-
mior redditus, spem salutis fere semper in-
dicant; et surditas in extremo morbo, etiam
ab antiquis, pro signo secundo habita fuit.

E contrario, vires et pulsus subito deficien-
tes, vomitus incessans, petechiae vel vibices,
et excretiones foetidae, inter signa funesta rite
recensentur. Quo citius Delirium appareat,
eo magis periculum denotetur; et visus aliquo
modo depravatus, aegro nempe muscas aëre

volitantes captante, vel Brachia vel stragula
jactante, cum subsultu et tremoribus, ut mor-
tis praefagia nimis certa aestimanda sunt.

RATIO MEDENDI.

Consilia, quae morbo tractando praecipue
respicienda, ad sequentia referri possunt.

1mo. Morbi progressum cohibere.

2do. Effectibus ejus occurrere.

Medicamenta quae primo consilio conveni-
unt, sunt Emetica. CELSUS monet, “Quum
“ primum aliquis inhorruit et ex horrore in-
caluit, dare ei oportet, aquam tepidam et
subfalsam et vomere eum cogere.”

Utrum vero usus vomitionis in febre dis-
cutienda, antiquis notus fuit, in dubio est. Ex

recentiorum experientia fati constat, vomitoria febricitantibus morbo ineunte adhibita, signa repentino saepe amovisse.

Quomodo profunt, sive, ut quibusdam placuit, ventriculum exonerando, sive, ut aliis magis persuasum, spasmodum vasorum extremorum solvendo, minime certum est; potius forsitan valent, Systema nervosum, subito et fortiter concutiendo.

Ad vomitum sciendum multa remedia in usu quotidiano sunt. Inter haec Praeparata ex Antimonio, praecipue Antimonium Tartarizatum, primum locum merito tenent. Antimonialia tamen Systema multum convellunt, nec sine discrimine igitur semper tentanda sunt, eosdemque felices eventus a pulvere Ipecacoanhae Lindius expertus fuit.

Emetico praemisso, fomenta et diaphoretici-

ca mitiora et Pringelio et Lindio comprobantur; hisce, cum fructu, Opium congungere liceat; cutem certius laxat, et nimiam Syftematis irritabilitatem compescit.

Nuper Perittiff. CRAWFORD Cortex Peruvianus, consilio febrem discutiendi, primo morbi insultu commendatur;--- et quosdam casus ad felicem exitum cito perductos administrante Professore HOPE, mihi contigit videre; nil tamen prodest, nisi libera manu adhibitus, nec ab ejus usu desistendum, dum sumi vel retineri possit.

Non autem, nisi primis diebus, exitus tam felix speretur; hac occasione praetermissa, Emetica, praesertim fortiora, quod vires multum exhauriunt, incommoda haud levia habent; nunc igitur ad consilium secundum spectandum est, effectibus nempe morbi occurrere.

Synocho, forma hujus morbi frequentiore, talia signa sese plerumque ostendunt, quae Tonica et Stimulantia omnino vetant. Hoc casu, attentio Medicorum semper dirigitur, ad Renixum, uti vocatur, Systematis amovendum.

Vix notare necesse est, omnes copiosas evacuationes, vel missione sanguinis, vel usu Cathartorum, cane pejus et angue evitandas esse, et tantum admittenda Remedia Antiphlogistica mitiora, ut Antimonialia, Sales Medii et Regimen Antiphlogisticum.

Praeparata ex Antimonio, multis hoc in morbo pro specificis habentur. De usu eorum, ad morbum debellandum, supra satis dictum fuit. Morbo autem confirmato, consilio diverso adhibentur, ut spasmus superficie corporis febrilem, ventriculum nauseando, solvent; atque Hypothesi duce, variis formis, Medicis tentata fuerunt.

Nequaquam de vi eorum Diaphoretica certandum est; sed minime pro certo habeatur, cute laxata, Typhum discedere—sudore nam elicitō, morbus nihilominus cursum tenet; et aegri univēse, nec sine causa, nauseam his remediis inductam, conqueruntur.

Inter Antimonialia, longe aliis Tartarum Emeticum antecellit—quia vi nota, et effectu certo, aegrotantis conditioni facile accomodatur—parvis dosibus, per intervalla repetitis, adhibendum est, dum aliquod nauseae, sine vomitu, excitetur.

Sales Medii, initio morbi, plerisque in usu sunt; et quia calorem febrilem minuunt, Refrigerantia speciatim vocantur. Hoc tamen e perspiratione aucta solum pendet, quam usu diluentium vix non efficere possunt; sed raro insigni commodo febre adhibentur.

Lixiva Nitrata nuper, ex Theoria arguta, quanquam dubia, in Typho multum celebra- tur; sed Lixiva Citrata, vulgo Mistura Salina, aegrotantibus majis grata est, et saepe feliciter adhibetur inter effervescendum, ad nauseam vomitumque febrilem, sistendum.

Regimen antiphlogisticum strictius observe- tur; nec unquam impune negligi potest. Omni- bus irritamentis, a luce et strepitu et calore ex- terno, ab aere impuro et vestimentis fordidis, sedulo cavendum; alvum per Clysmata emolli- entia perpetuo solvere, et sitim diluentibus et acidis restinguere oportet. Nec mi- nus attentionem Medici Anxietas et Per- vigilium, signa vix non gravissima, sibi vindi- cant. Fomenta pedum initio morbi saepe som- num conciliant, et Opium, hac mente fide omni meretur.

A prostratione tamen virium, que citius aut

ferius invadit, omne morbi periculum oritur. Debilitatis igitur effectibus, Stimulantibus et Tonicis quamprimum occurrendum est.

Stimulantia, propter vim diffusilem, tractationi Typhi insigniter conveniunt, et licet morbum nullo stadio depellere possunt, vires tamen aegroti fulciendo, Systema reddunt aptum, ad hasce mutationes ferendas, quae denique morbum ad finem perducunt. Inter Stimulantia, Vinum, quod gratissimum, praecipue eminet, nec ejus immerito laudes a deo Medicis cantantur: calorem febrilem minuit, vires reficit, signa pessima levat. Te, Vinum, fugiunt curae et ingens majorum cohors! nec eum nunc fileam, qui, mole tanta pharmacorum, nec semper infantium, relicta, hoc optimo dono Deorum febre extrema solum fidens, quamplurimos fere exanimis Orco eripuit!

Vinum cujusvis generis stimulum satis validum Systemati impertit. Lusitanicum Rubrum vel Madeirense imprimis in usu sunt; prius forsitan praestantius, ut vi quoque tonica et adstrin-

gente gaudet. Quod ad tempus adhibendi vel quantitatem attinet, omnino e re nata pendet. Nihil commodi speretur nisi copiosius exhibeatur, usque ad libras duas, spatio viginti quatuor horarum, et ultra progredi pro occasione licebit.

Nonnunquam, morbo diutius protracto, vinum fastidit aeger, hoc in casu Spiritus ardens, aqua et accido ad gratum saporem commixtus, vicem ejus satis commode supplet.

De nullis remediis magis inter Medicos, quam de Epispasticis certatum fuit, et etiam certatur. Huxhamius et Lindius ea ad coelum evehunt; Pringelio saepe sine fructu adhibebantur. Inter observatores tam sedulos, Quis dicet? non certe Tyronum est tantas componere lites; quanquam celari non potest, commendationibus Lindii, initio morbi male respondisse.

Morbo tamen provecto, ut Stimulantia

aptissima multis adhuc habentur; sed partes
ulceratae multum molestiae creant, et facile
in Gangraenam abeunt. Cataplasmata ex Sinapi
pedibus, si non diutius applicata, hoc incom-
modo carent. Urgente delirio, cephalalgia,
vel alio topico affectu, usus Epispasticorum
omnibus patet, neque hic ad Visicatoria prius
illecurrendum, quam Hirudines, abrasio et
lavatio capitis tentata essent.

Pauca nunc de Tonicis addere restat. Haec
tonicum fibrarum firmando, adversus debili-
tatem quam maxime valent. Pulsum mor-
bis asthenicis roborant, appetitum ciunt, vigo-
rem animi et corporis reficiunt, totum ho-
minem erigunt.

Omnia amara et adstringentia vi tonica
gaudent; sed maxime efficacia, quum sint
conjuncta. En Rex ipse medicamentorum,
(Cortex Peruvianus! cujus virtutes non ad-
huc satis laudantur.

Minime tamen sperandum, hoc remedium, quantumvis egregium, eodem effectu contra Typhum ac Intermittentes pollere. Omne tulit punctum, si graves Typhi effectus arceat; nec contra hydropem, et alias hujus morbi diras sequelas, tutamen certius adhuc inventum.

De variis ejus praeparationibus, hoc loco differere nequaquam convenit. Nihil fere unquam Corticem prodesse, nisi larga quantitate, et substantia adhibitum, uno ore Medici testantur. Infuso frigido Ventriculus saepe minus turbatur, et addito pauxillo Spiritus Vitrioli tenuis gratius evadit.

De Frigoris actione in corpus humanum, multum disputarunt medici, et adhuc sub judice lis est. Vix est operae pretium nosmet his controversiis irretiri.

Frigus modicum, vires Systematis quomammodo excitare et reficere, inter omnes constat, nec immerito inter tonica recensetur. Contra morbos nimia mobilitate stipatos, utile videtur, nec in febre ejus usum minus experientia comprobatur.

Ne nimis igitur, stragulis aeger prematur; Aer frigidus libere admittendus; nec quicquid vetat corpus etiam aqua frigida cavare.

Petechiis, aliisque, ut creditur, putredinis signis semet in conspectum dantibus, plurima medicamenta ad hanc humorum proclivitatem corrigendam commendantur; hujusmodi sunt Acida et Mineralia et Vegetabilia, cum Aere fixo. Horum effectus saltem dubii sunt; quum autem aegro sunt satis grata, adhibeantur. Valeant quantum valere possunt.

Subsultus vero, et convulsiones maxime

timenda sunt. Hae enim, viribus nunc fractis, mortem nimis certam portendunt. Re tam desperata, "Quum mors vitae arcem pulsat," ad Moschum vel Opium statim confugiendum.

Ea, libera manu, et saepe repetita cum fructu insperato aliquando adhibentur; nec Vini generosi, nec etiam Spiritus ardentis aegro nunc desit Auxilium.

* * *

Ut metam nunc attingi, hanc occasionem, Spectatissimi Medicinae Professores, animi multorum beneficiorum haud immemoris ostendendi, laete arripio. Si unquam de Medicina meruerim, vobis tribuendum erit; si non, semper tamen vestrae laudes manebunt.

Floreatis! et Floreat Haec Alma Academia, qua olim prima scientiae principia inhausi! Valete!

F I N I S.





Tight gutters through

